



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tractatus De Moribus, Amore,  
Servitio Æternæ Sapientiæ

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066375**

Cap. XIV. Mater Æternæ Sapientiæ Maria, est peculiaris ad Æternam  
Sapientiam via.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45408**

Et habitur in Domino, qui dabit illi petitiones cordis ejus.

*O Æterna Sapientia fac me te amare, ad te ire, tibi perire, & ad te pulcherrimam, suavissimam, dignissimamque pervenire.*

## C A P U T XIV.

*Mater Æternæ Sapientia MARIA, est peculiaris ad Æternam Sapientiam via.*

**H**OC dubium esse puto memini? nisi qui MARIAM Matrem esse Æternæ Sapientia non novit, aut non credit. Si enim Matrem scit, viam esse fatetur. Nam quod naturalius, certius, compendiosius ad Filium iter, quam Mater? MARIA per omnibus novit ingressiones & egressiones Sapientia, utpote quas corporaliter in semetipsâ experta est, tantò singularius, quanto mirabilius, nisi quis cogitet, MARIAM nosse quidem, & esse viam Sapientia, sed tantum sibi, non autem etiam nobis. Sed hoc de Sapientia Matre cogitare, nefas est, si Mater Sapientia est. Novit enim Sapientiam sibi quidem venisse sed non soli, verum etiam nobis, scit itaque, Sapientia itinera, tam ad se, quam ad nos, quippe quæ novit Sapientiam per se venisse ad nos. MARIA est rationalis aquæ ductus, qui fontem illum Cælestem per sese ad nos delabentem sensit, scivit, & meminit. Peculiaris hæc certè via, quia post æternum Patrem, nulla aqua naturalis ad Sapientiam. Nulla ita certo, ita proprio, ita suo jure ad illius latibula, & adyta penetrat. Quid enim Matri apud Filium clausum?

46.

C 3

Deni-

47.

Denique quis dubitet tutissimam certissimamque hanc esse viam ad Sapientiam, quâ ipsa Sapientia ad nos venire dignata est? quamque ipsa sibi Sapientia hos solos in usus prælegit, & sanctificavit, adeo singulariter, ut nulli alteri per eam, sic intrandi concesserit, sed soli, & uni sibi reservavit facultatem? Quâ igitur via descendit ad nos Sapientiâ, hâc nobis ascendendum est ad Sapientiam. An fortè experimentum querimus hujus quam dicimus Veritatis? Equidem nemo unquam hæctenus accessit ad Christum nisi per MARIAM? aut si secus est, prodeus quisquis ille est, & hoc de se enuntiet. Nihil quidem certum, tam vecordem esse neminem, nec fore. Ut enim non intratur in Domum nisi per januam, ita non pervenitur ad Æternam Sapientiam, nisi per Matrem ejus MARIAM: hæc enim est vena Vitæ, derivatio Gratia, salutis anchora, arrha misericordia, Via simulque sedes, & Mater Sapientia. Ad MARIAM igitur currat, quisquis certò & citò ad Æternam Sapientiam penetrare festinat: nemo intimior nemo familiarior Sapientia, quam MARIA, nemo propinquior quàm Mater. Matri ergo jungatur, qui Filio vult propinquare, adhæreat MARIÆ, qui vult conjungi Sapientia.

*O quis det? ut per te accessum habeamus ad Filium o Pretiosissima Parens, Sapientia. Sine te qui ad Sapientiam vadit, errat; qui appropinquat, recedit; qui apprehendit, amittit. Tu mihi o Mater sis via ad Filium, quæ es via ad me Filio. Tua manus me ducat, me tradat, me jungat, Æternæ Sapientia in Æternum, & ultra. Amen.*

CAPUT